





372  
1772, 12.  
QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
DE  
IVRIBVS ET OBLIGATIONI-  
BVS MEDIATORVM INTER  
GENTES LIBERAS

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAE S I D E  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR, PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.  
SOCIO  
IN AVDITORIO PETRINO  
DIE XI. MART. ANNO CICIOCCCLXXII.  
DEFENDET  
IOANNES FRIDERICVS HAMMANNI  
BVDISS. LVSAT.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVMPFIIS.





DE  
IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS  
MEDIATORVM INTER GENTES  
LIBERAS.

§. I.

 Gentem a gente alia libera et laedi posse et vere laedi, imo, si propter illatam laesionem, nulla sequatur satisfactio, ad quam gens, quae laesionem intulerat, obligata, licitum esse genti laesae armis ad satisfaciendum cogere laendentem, nemo est, qui dubitat. Sed, an semper, quae a gentibus liberis gerantur bella, ex vera laesione quoque gerantur, atque, an quae laesiones gentibus impunitentur, verae sint, alia quaestio est, quae nec adfirmari, nec probari potest. Haud opus, ut ex omni aetate exempla quaeramus, quibus probeimus, bella a gentibus contra alias gentes suscepimus, quae praeter acquirendi cupiditatem nullam aliam iustum habuere causam. Neque inauditum est, adeo ex non adimpleatis gratitudinis officiis sicque imperfettiis obligationibus suscepimus bellum excusatum esse, quae tamen nunquam neque iure perfecto, neque bello exigi pos-



possunt. Exemplum memini me legisse in *Mercur Holland a Amsterd. 1673.* cum Galliae tunc Rex Ludouicus XIV bellum indiceret Batauis Anno 1672. d. 6. April, qui in sua declaratione aliam belli causam quam maximam Batauorum ingratitudinem, quam accusat, haud exposuit. Quanta inhumanitas, quantaque saeuitia! tot hominum millia ob neglegentum, (si vera fuit causa, de quo vehementer dito) officii imperfectione, gratitudinis felicitate, maestare, tot vrbes deuastare, tot calamitatibus et propriam gentem et hostem adficere. Sed sane, aliter sentit philosophus, alter Rex: an recte aliter Rex sentiat, atque an gentis sit, hanc sui principis omni moralitati atque iustitiae aduersam perferre sententiam et exsequi, iam ego non decerno. Quidquid autem sit, negari nequit, si genti a gente vera laesio inferatur, ex naturae lege satisfactionem a laedente exigi posse, ad quam, si praestare neget, consequendam, bellum iure permisum esse. At quis prudenter acturam gentem putabit, si statim arma arreptura sit gens laesa ad cogendum laedentem, quo, quam debet satisfactionem, praester. Vel enim fieri potest, ut ex laesione contingens damnum plane minoris momenti sit, quam qui erunt sumtus in bellum erogandi. Contingere amplius poterit, ut laedens potentia et opulentia laesam gentem grauiter superet, quae vel plane sociis ex foedere destituta, vel parum fidos habet, ut viribus impar ex bello plus detrimenti metuendum sit, quam sperandum ex satisfactione exigenda commodum. Hinc multae esse possunt causae, quae iustissimum adeo bellum disuadere possunt, neque enim gentes tantum ad iustitiae leges suas componere possunt actiones, verum saepius prudentiae regulae in auxilium vocandae veniunt. Et in bellis incipiendis antiquiori aetate videtur valuisse consilium illud apud Tarentium, videlicet prius omnia tentanda, quam ad arma venia-

¶ ¶ ¶

veniatur. Et tandem, si armis etiam diu certatum inter gentes, haud raro quoque contingit, ut strictissimas leges negligere belligentes cogantur ex prudentiae regulis vtraeque pacem optent. At sicut interdum inter eas gentes, qui de suscipiendo bello cogitant, multum laboris multumque prudentiae adhibendum, quo evitent bellum suscipiendum; ita haud minor labor atque prouidentia, immo prudentia adhibenda, quo inter hostes concordia fieri posset.

§. II.

At quo grauior causa est conciliandi infensarum gentium animos, vel qui meditantur bellum, vel qui iam bellum inter se haftenus gesserunt, negotiatores vsu gentium interuenierunt, (nulla lege;) qui officia interposuerent vel humanitatis ratione moti, vel vtilitatis propriae causa, qui infenso gentium animos conciliarent, vel vt evitarentur meditatum bellum, vel gestum componeretur pace facta: *mediatores* *vsus* dixit. Sunt autem mediatores personae, quae inter gentes, lites coortas componere tenent, vel, vti ICKSTATT in *Element. Iur. Gent. L. II. cap. IV. §. 7.* definit, *personae vel populi, qui consilio et opera sua gentium controvenerintium compositiones amicabiles promouent:* Repte Ickstattius vel personam, vel integrum populum mediatoris officio fungi posse monuit. Sic apud cocceivm diff. de officio et Iure mediatorum pacis. §. 16. exemplum adfertur, quo persona priuata *Portsmouthia* videlicet inter Ludouicum XIV. Galliae et Carolum II. Angliae Reges mediatoris officio functa erat. Plerumque vero populos seu gentes, quas Reges repraefendant, mediatorum officio funguntur, atque per legatos mediationem curant. Sic Rex Sueciae inter Gallos atque Sacrum Imperium germanicum mediator ab initio pacem tentauit, quamuis hoc officium postea desereret, cum foedere socius hostis postea



stea fieret. Vix ergo potest fieri, vt ea gens, quae socia est belligerentium, sique simul bellum gerit, mediatoris partibus fungatur: nisi forsū de ea gente concedere veniamus, quae quidem foedere defensio ad certa definitaque auxilia praestanda genti vni belligerentium tenebatur, praeter ea vero auxilia sese liti haud immisicut. Obiici quidem posset, hanc partium fore studiosam, sed vt videbimus deinceps, vix haec exceptio valebit, quippe a belligerentibus partibus pendet, an cum recipere velint, et si receptorint, sibi dein imputent, et quid! si partium sit studiosus, aut videatur, nihil hoc partibus nocebit, cum in libera earum voluntate contineatur, quantum illius consilia sequi velint.

### §. III.

Facile patet, qui mediationum finis sit. Lis inter gentes exorta eaque componenda mediationi causam dat, vel vt bellum auertatur, vel vt bello haētenus gesto pax fiat. Hinc officium mediatoris primarium, vt, quae gens alteri litigantium obiiciat grauamina, cognoscat, quo possit excogitare media, per quae conciliare possit animos. Non itaque opus est, vt in ipsarum causarum atque grauaminum veritatem atque iustitiam inquirat: haec enim sunt iudicis officia, quae cum fine mediationis haud conueniunt. Haud quaestio est, quae vere laesa sit gens, quanta sit laesio, quod damnum perpessa, quomodo laedens gens damnum resarcire debeat; sed transactione potius lis finienda per mediatorem, parum de veritate laesionis et grauaminum sollicitum: Primarium ergo officium est, vt a partium studio plane alienus, et vt nequam vni partium plus faueat, quam alteri. Alterum est vt utramque partem exaudiat, quibus conditionibus iurgium finitura sit, atque has cum altera communicet, utiamque amicabilem pro circumpositorum rerum qualitate

tate ineat, donec efficiat, ut litigantes de suis petitis remittant, atque transactionis pacisque conditiones fiant.

§. IV.

Diximus a partium studio alienos esse debere mediatores, ne vni partium plus faueant, quam alteri; Iam vero quaestio oritur: an proprium interesse simul curare possit mediator. Arbitror posse vtique propriae utilitatis rationem habere. Sicuti enim officia, quae aliis debemus, haud semper nos impedian, quominus ea, quae nobismet ipsis debemus, exequi queamus. Ita non potest esse prohibitio, quominus mediator proprium interesse curet, neque obinde videri potest partium studiosus, quippe neutri partium propterea plus fauet. Dein etiam si mediator in proponendis mediis ad concordiam inter partes tentandam et restaurandam proprium interesse cureret, tamen cum ex suis mediis propositis haud obligentur partes, suoque demum consensu aut probent, aut dissensu reprobent, nunquam dici potest, gentes in suis perfectis iuribus laesas esse a mediatore: Sibi enim quaeque gens debet imputare, quod proposita media comprobauerit, quae simul proponentis interesse continebant, cum liberum ei esset, et comprobare illa, et reiicere.

§. V.

Mediatorum vero officium cum in conciliandis animis maxime consistit vel laborat, quo pax, quae adhuc fracta non est, inter partes de bello meditantes seruetur, ne bellum, quod metuebatur, initium capiat, vel quo bellum, quod hactenus gestum inter belligerentes, finiatur et pax restituatur. Aut se ipsos offerre possunt mediatores gentibus belligerentibus vel inter se rixantibus, atque tentare proprio ausu concordiam: tun liberum est, an mediatores hac qualitate agnoscere velint. Aut requiruntur a gentibus ipsis certantibus inter se, neque tunc prius haberipos-



possunt mediatores, quam si illud officium receperint. Cum enim omnis mediatorum obligatio primum a sola humanitate veniat, eaque officii magis sit, quam necessitatis, pendeat quoque necesse est ab arbitrio eius, qui rogatus est de interponendis bonis officiis, an recipere velit. Quodsi vero vel agnitus sit mediator, vel mediationem re-ceperebit, an perfecto iure teneatur? Obligari ad tentan-dam concordiam quidem haud nego, sed cum neque par-tes ad proposita media conciliationis acceptanda cogere possit, atque ad quod se obtulerit, officium humanitatis sit, vix absolute adfirmare ausim, mediatorem iure per-fecto ad quidquam teneri. Hinc si videat, quae conciliandi media habeat, exitum inter gentes non habitura, si recesserit ab officio mediatoris, eundem pro laedente ha-beri neutiquam posse. Satisfecit itaque suo officio, si quae putet apta esse media, amicabiliter componendi li-tem inter belligerentes, cum vtraque gente communica-uerit.

### §. VI.

Contingere interdum potest, vt vel atrocitate belli vel quod magis est propria vtilitate gens neutralis qui-dem commoueatur, vt se sponte ad conciliandam pacem offerat: vel rixa orta inter duas gentes liberas, cum ter-tia gens puret, suam interceptum iri vtilitatem, si inter rixantes bellum oriatur, et ne id contingat, proprio mor-tu tentet compositionem amicabilem, an cogi possint gentes ad mediationem agnoscendam, imo si vna gens li-tigantium mediatorem agnouerit, an altera possit cogi, vt itidem admittat? Aequalitas, quae inter gentes libe-ra est, haud permittet coactionem, ybi deficit ius co-gentis perfectum. Cum vero vtilitatis ratio nunquam ius perfectum producat, neque gens lieite cogi possit ad alterius promouendam vtilitatem, fieri nulla ratione poterit,



9

poterit, ut gens gentem cogere possit ad mediationem accipiendam. Dein, cum de suis quisque gens actionibus, nisi obligatio iusti adsit, rationem reddere debeat, liberum erit cuius genti bellum gerenti, si nolit mediationem admittere, vel mediatorem agnoscere, omnem repudiare amicabilem tertii interuentione.

Neque se propterea laesam putabit gens mediationem suam offens, si non admittatur, ut exinde iusta ipsi sit causa, arma arripiendi atque bellum suscipiendo. Utuntur enim gentes, qui recusant mediatorem, iure libertatis naturalis, ut laesio dici nequeat recusatio.

### §. VII.

Pariter si a gentibus belligerentibus tertiae cuidam mediatio offeratur, liberum erit huic genti, an hocce mediatoris officium in se suscipere velit. Poterit autem et recusare officium delatum, neque gentes, quae obtulerant mediationem se propterea laesas putabunt. Denegavit enim requisita gens humanitatis tantum officium, quod, nisi pacto interueniente, perfectam nunquam producit obligationem, ut illius neglectu vel intermissione laesio oriri possit. Patet etiam ex hoc, quod mediatorum officia nunquam ad conciliandam amicitiam et ad pacem faciendam sint absolutae necessitatis. Experientia docet saepius inter belligerentes concordiam restitutam esse, quamuis nulli accesserint mediatores. De Pace Pyrenaea frustra a mediatoribus prius tentata id adfirmant: possemus id quoque adfirmare de Hubertoburgensi pace tanquam nouissimo exemplo, in qua facienda tantum partes litigantes conueniebant, atque conditiones pacis firmabant.

B

### §. VIII.



## §. VIII.

Damus tertiam quaestionem. Contingere potest inter belligerentes gentes, quae de facienda pace cogitant, ut singulæ singulæ ellegant, quarum mediatione concordiam tentare student. Quid, si una gens alterius electum mediatorem haud admittere, neque cum eo rem habere velit, an et mediator, et gens eundem offerens ad mediationem laesionem patientur. Si ea, quae supra dedimus argumenta, recte perpendantur, facillima huius erit quaestione diiudicatio. Videri quidem possit repudiatione laesa gens, quae ab altera ex sua parte ad mediationem electa fuerat, quasi vel partium studiosa, vel inepta ad illud officium. Sed cum liberum cuius genti debeat esse iudicium, nec genti in gentem competit ius, ut quem mediatorem constituerit, agnoscere debeat, cum omnis mediatoris receptio humanitatis sit, et magis ad faciliorem pacis icendae rationem adhibendam, nec in hac specie laesio illata videtur, quippe qui suo libertatis iure vtitur, laedens haberi nequit.

## §. IX.

Iam si quis officium mediatoris in se recepit, an sine laesione iustitiae ab officio hoc recepto recedere possit? Putat **COCCEII** Dissert. cit. *de officio et iure mediator. pacis.* §. 8. posse re integra intuitis quoque partibus eundem desistere. Sed, quamvis eod. §. adfirmet *causas principum solo gentium iure regi*, tamen facile patet, eundem officium mandatarii ex iure ciuili cum officio mediatoris in iure gentium confusisse. Concluderem ergo vi oppositorum, si semel inchoauerit mediator officium, eundem recedere non posse, et tamen parum sibi constans retulit in

Tracta-

Tractatibus Pacis Neomagensis Regem Sueciae mediatorem egisse, eumque deposito hoc officio Gallis se socium fecisse, neque obinde, quod ab officio recesserit, regem Sueciae reprehensum obseruauit apud eundem, quod factum tamen reprehensione dignum, cum non amplius re integra suum deseruerit officium. Si accusatius ipsam causam perspicio, veritati magis mihi videatur conuenire, si dicamus, omni tempore posse mediatorem ab officio etiam recepto recedere. Quum enim ad consentiendum in oblata media cogere partes nequit, si suas operas frustraneas sentiat, quid obstet, quominus officium deponat. Praeterea ab ipsis gentibus vsu officium mediatoris iudicatur ex regulis humanitatis, vt stricta pacti obligatio adesse non videatur, neque ad quidquam certi praestandum se ipsos consensu obligent mediatores, quam vt concordiam tentent, quare nec coactionem admittit mediatoris officium.

§. X.

Diximus mediatorem libere ab officio recepto posse recedere, maxime, si peruideat frustraneas impensurum operas: hinc liberum quoque erit gentibus inter se infensis, licet prius agnouerint mediatorem, si illius et operae et conditions oblatae pacisque media displiceant, ultiores operas deprecari, eumque amplius mediatorem non agnosceret. Cum enim receptio mediatoris non contineat ius cogendi, sed tantum facultatem tribuat animos reducere ad concordiam, quoquinque bono modo id fieri possit, aut potius tentandi reconciliationem; ita liberum gentibus erit, media proposita non accipiendi, quippe non primario in suam agit mediator utilitatem



quamvis non negamus propriae utilitatis rationem cun-  
dem habere posse, si illaesa iustitia fieri poterit, sed potius  
litigantium atque belligerentium causa officium re-  
ceptum est. Si liberum est gentibus a mediatore pro-  
posita pacis atque concordiae media repudiare, quidni libe-  
rum ipsis quoque sit, quamvis ab initio mediationem ab  
altera gente vel vtraeque litigantium partes, vel alterutra  
earum expetierit, amplius mediationem deprecari. Fin-  
gamus ergo inter gentes belligerentes ex eorum praeci-  
bus tertiam gentem mediationem suscepisse: fieri potest,  
vt, quae causae suadebant concordiam, casu aliam in-  
duant faciem, sic vt satius putent item armis deciden-  
dam relinquere, quid impedit, quominus deprecentur  
ulteriores operas intermedias mediatoris: Et si depre-  
centur, an gens mediator se obinde laesum arbitretur?  
Haud puto, cum ex hoc humanitatis officio accepto nul-  
lum ius perfectum acquisuerit, in quo, deponendo offi-  
cium, laedi posset.

### §. XI.

Praeterea facile patet, si vel genti, vel principi dese-  
ratur mediatio inter gentes altercantes, plerumque hoc  
officium per legatos gentis seu principis peragi. Cae-  
legatum mediatorem habeas, quippe hic tantum media-  
toris procurator et inter ipsas partes internuncius est,  
per quem vel gens, vel princeps mediator sua quae propo-  
siturus est, reconciliandi media proponit. Hinc lubens  
de his legatis nihil addo, quippe, quae de horum iuribus  
atque immunitatibus dicenda essent, non ad iura media-  
torum pertinent, sed ex iure legatorum cuncta et eme-  
tienda et ponderanda. At quid! si contingat, vt priuati  
cuius-

cuiusdam vel ministri vel alius tertii operas, qui non considerandus est iure aequalitatis et libertatis, tanquam mediato-  
ris requirant gentes litigantes, quod tamen rarissime contingat: an hic mediator intuitu sui officii conditione naturali  
vtatur? Cum mediatorem singimus subditum tertiae gentis,  
per se patet, hunc propria autoritate vix officium in se suscep-  
tetur, sed gentis sua consensum requisitur. Iam vero,  
quamvis tertiae gentis subditus sit, tamen cum mediatorem eligant liberae gentes, haud respiciunt ad eius  
conditionem subiectionis, sed magis ad aptitudinem,  
quam requirunt in mediatori. Volunt itaque finem, vt  
id agat, quod sui officii est, volunt ergo, vt ea conditio-  
ne agat, sine qua officio fungi nequit, Iam necesse est,  
vt intuitu gentium altercantium immunis sit ab eorum  
imperio adeo temporario. Quodsi enim necesse est, vt  
ad vtrasque gentes veniat, suaque ipsis consilia suggerat,  
vix haec videtur libere peragere posse, si temporarius  
fieret subditus accessu. Hinc acceptio tanquam media-  
toris efficit, vt simul conditione naturali accipiatur ab  
vtraque gente, inter quas mediationem suscipit, quo li-  
libere possit etiam tentare concordiam, salvo eo, quod  
extra officium suum in sua gente sit subditus.

## §. XII.

Iam comparandus mediator cum *arbitro*. Quamvis rarius contingat, vt sibi gentes belligerentes compromisso arbitrum constituant, tamen non plane desunt exempla, et apud PVFFENDORFIVM in *lur. Nat. L. V. c. XIII.* §. 7. excitatur exemplum Marchionis Ferrariensis, qui inter litigantes tunc partes arbitri videbatur gerere vel saltem a quibusdam arbiter reputatur. Alia exempla exhibet COCC EII cit. Diff. §. XV. Si officium

atque arbitrorum iura aecurate perpendimus, facile patet, quae inter mediatorem et arbitrum intercedat differentia. Mediator tantum conciliare studet rixantes partes, non decernere, quis inter eas iustum litigandi causam habeat. At arbiter a partibus constituitur, ut peruestiget causa cognita, quis rectius rixas atque lites mouerit inter partes. Mediator finit bellum vel item amicabili compositione, parum curiosus an idoneam belli causam habeat alterutra gens, contra arbiter decidit causam, atque ad causam iustitiae item quasi reducit. Compromittunt inter se partes litigantes, se stituros sententia arbitri, siveque ad parendum officio perfecto ex conuentione obligantur: Contra in oblatis pacis et concordiae mediis liberum manet partibus, vtrum accipere, an vero reiicere velint. Non ergo iniustus erit, qui reiicit consilia atque suasa mediatoris, cum contra alterum in suo perfecto iure laedat, qui in sententia arbitri non acquiescit. Tandem supra monuimus, mediatorem recedere libere posse a suo officio mediatoris, contra, cum expressa conuentione se obliget ad gentium item decidendam arbiter, recte poterit cogi ab litigantibus, ut secundum illud, quod cognita causa iustum videatur, decidat. Agit de arbitrorum officio inter gentes ICK-STATT in *Iure Gent. Lib. IV. Cap. II. §. 6.* sed haec latius non tractabimus, comparauimus tantum arbitros cum mediatoribus.

### §. XIII.

Supereft, vt adhuc comparemus cum *Sponsoribus* mediatores. Sponsores seu, quos dicunt *Guarens*, alii *Affsecratores* plane diuersi sunt ab mediatoribus. Hi enim sollicitit tantum sunt

sunt de concordia facienda inter belligerentes partes; sed sponsores non aequa tanquam sponsores hanc gerunt curam, sed magis accedunt iam pace facta, atque de eius conseruatione et promissorum adimplectione cauent. Hinc si consiliis ac suis mediatorum facta initaque sit pax, finitur officium mediatoris, et incipit sponsoris. Non ergo competit mediatori ius cogendi partes ex eius consiliis pacem comprobantes, ut etiam pacem seruent, atque inuicem promissa praestent; non enim ex intentione et agniti sunt, et receperunt officium, quo velint pacis euentum praestare. Iudicandum itaque ex ipsa mediatorum intentione, quorum officium stricte ex eo interpretandum, in quem finem consensere. Contra sponsores euentum pacis iam initiae in se suscipiunt, vt hi ex suo consensu teneantur. Quapropter, si vna pars renuat postea pacis adimplere conditiones, vel contra pacta agat, dubium non est, obligari sponsorem ad capienda arma, quo alterum, qui transgressa pace laeditur, simul defendat ab iniustitia: imo iniuste aget, si sponsor factus, haec praestanda auxilia laesae parti neget. Ex his vero non negabimus, posse mediatorem, pace facta, sponsorem fieri, quippe haec a pacto postea pendent.

#### §. XIV.

Tandem si mediator sua opera suisque consiliis demum effecerit, vt pax inter litigantes facta, vel seruata fuerit, quaeri potest, an mediatori ius competat, si postea inter pacificentes partes de promissorum sensu ambiguitas oriatur, cum a mediatore cuncta proposita certoque modo definita sint, interpretem agere, atque coge-

cogere partes, inter quas mediatori egerat, ut suam  
admittant interpretationem ambiguitatis. Concedo,  
si in eius interpretationem compromittant partes, isque  
compromissum in se recipiat, pacti tunc vim adesse. Sed  
haec non sunt ex officio mediatoris. Diximus supra,  
finiri eius officium facta restitutaque pace; hinc nec  
interpretandi, nec cogendi partes ad interpretationem  
agnoscendam ius mediatori esse posse: in neutrum enim  
consenserunt litigantes partes; quae ultra consensum te-  
neri nequeunt.



Leipzig, Diss., 1772 A-R



3

f

TA-70L

nur 23. Stck. höher verka.



1772, 12.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
DE  
IVRIBVS ET OBLIGATIONI-  
BVS MEDIATORVM INTER  
GENTES LIBERAS

Q.V.A.M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE XI. MART. ANNO CICIOCCLXXII.

DEFENDET

IOANNES FRIDERICVS HAMMANNI

B V D I S S. L V S A T.

---

L I P S I A E  
L I T E R I S R V M P F I I S.

B.I.G.

Black

White

Magenta

Cyan

Green

Yellow

Red

Centimetres

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

B.I.G.

Black

